

LXXIII DE SEQUESTREAT. DEFINIT. §. XX.

tionem. Generaliter enim diximus sequestrationem *actum* esse, ne incideremus in eorum vitium, qui eam contractum aut depositum definiunt. Vt vero vtramque, et rerum, et personarum, sequestrationem definiendo complecteremur, diximus *quid* collocari in tuto. Id ipsum autem *in tuto collocandi* verbum ideo nobis placuit, quia omnes illud amplectij videbatur modos sequestrandij, siue iis id, quod sequestratur, alicui auferatur, siue is, apud quem illud est, impediatur tantum, de eo, quod sequestrari volumus, in nostri praeiudicium disponere, licet id ipsum retineat. Hoc verbo quoque vtraque sequestratio comprehendi poterat, tam ea, quae fit interueniente tertio et sequestre, quam ea, qua res alio tantum loco deponitur. Pariter illud verbum continet, et eam sequestrationem, qua dimittitur possessio et eam, qua retinetur. Sequestrationem autem ideo fieri diximus, *ut periculum vitetur, quod quis sibi ex eo metuit, quod aliquid sit apud alterum.* Quod quidem adiiciendum potissimum esse putauimus, quum in eo positus sit animus sequestrantis et finis, ob quem fit sequestratio, in quo in primis puto et maxime latere vim et naturam negotiorum iuridicorum. Sed haec omnia et plura, quare ita sint a nobis expressa, satis superque adparebit, si quis diuisiones sequestri, quas subiunximus definitioni nostrae, cum eadem paullo diligentius conferre et comparare voluerit. Quare ne hac ratione puto, opus esse, vt quid vberius adiiciam. Intelligentium igitur iudicio haec, qualiacunque sunt a me disputata, committo, qui iudicent, an definitio, quam in hoc libello proposui, talis sit, qualem vult CICERO *a)* esse omnem definitionem, scilicet, quae rei alicuius proprias amplectatur potestates breuiter et absolute, et vtrum contigerit mihi, quod studui certe quam maxime, ex eiusdem TVLLII praecepto efficere, vt omnem sequestrationis vim et potestatem definitione ita dilucide proponerem, et breuiter explicarem, vt neque pluribus verbis oportuisse dici videretur, neque lucidius potuisse putaretur. Quod quidem si docti viri iudicauerint me perfecisse, insigniter laetabor, sed si qua in re defecisse me, nec omnia satis curate disputasse, monuerint, nescio sane, an sit minus futurum, quod inde ad me magis erudiendum perueniet, gaudium.

*a) Lib. 4. ad Herennium c. 25. §. 35.*

